



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1765

VD18 90118243

§.24. S. Ludovicus Angliæ Arbiter.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66255)

er. t Regi Angliæ suadere, ut Siciliam pro Sæcul. XIII.
filio suo Edmundo postulare desisteret. A. C. 1263.

§. XXIV.

S. Ludovicus Angliæ arbiter.

Papa insuper peculiarem in Angliam Legatum misit Cardinalem Guidonem Fulcodium Episcopum Sabinensem, qui pacem inter Regem ac Proceres conciliaret. Ferebat complura diplomata an. 1263. 22 Novembris diebusque sequentibus data, & habebat potestatem non modo censuris in rebelles utendi, sed mandandi etiam, ut sacrum bellicum contra eosdem caneretur: hoc enim remedium cunctis malis gravibus adhiberi solebat. Cum Urbanus simul Regi S. Ludovico scripsisset, ut civili Angliæ bello sedando navaret operam, hic Princeps tam efficacem dedit, ut Rex Henricus ac Proceres eum cooptarent arbitrum.

Compromissum Dominica post festum S. Luciae decima sexta Decembris anno 1263 Vindesoriam delatum petebat, ut Rex Ludovicus ante Pentecosten sententiam ferret suam, qui hoc tempus non expectavit. Partes Ambianum accersit, quo Rex Henricus ipse, multique Proceres se contulere. Ea, quæ utrimque proponebantur, audiebat & examinabat sedulo, præsertim præscriptionem anno

Sæcul. XIII.

A.C. 1264.

Sup. lib. 84.

§. 52.

1258 Oxonii factam, in qua vidit multum dignitati ac juri regio derogatum esse, ob eamque pactionem turbatum regnum, depressas Ecclesias, perpetratas direptiones, damna gravia multis indigenis exterisque illata fuisse; paucis: inde grandia fluxisse mala, & majora in posterum timenda esse. Tum Gallia Proceribus pluribusque aliis viris probis in consilium adhibitis sententiam suam arbitrariam dixit, per quam præscriptum Oxoniense, præcipue cum a summo Pontifice jam fuerit antiquatum, sustulit; Regem ac Barones Angliæ ab omnibus iis, quæ per illas tabulas promisissent, absolutos ac liberos declaravit, & singula in statu pristinum restitui jussit. Ita pronunciavit 23 Jan. an. 1263 scilicet 1264 ante Pascha. Hoc exemplum illustre docet, quanta estimatione justitiæ sapientiæque Rex S. Ludovicus apud externos floruerit.

Joinville
p. 12.

Justitiam populo suo administrari magno opere curabat, & præter jurisdictiones ordinarias exerceri prope se volebat illas, quæ dicebantur *Judicia portæ*, unde venerunt *Cognitiones libellorum supplicum*. Tres vel quatuor erant Proceres, qui ejus jussu hanc faciebant functionem, hujusque rationem ei postea reddebant. Æstivo tempore, postquam divino sacrificio interfuerat, sæpe ambulatum ibat ad nemus Vincenianum, ibique ad quercum con-

confidens hos Proceres sibi affidere jubebat. Tum omnes illi, qui habebant negotium, ei locutum veniebant: nec factellitum quisquam vel alius arcere illos poterat. Rex maxima suæ vocis contentione quærebat, an aliquis causam vellet dicere: & quosdam Proceres, qui rem expedirent, vocabat. Sed siquid in orationibus Advocatorum carpendum censuit, ipse humaniter eos reprehendebat. Interdum eis aures præbebat in horto Regiæ Parisinæ, ubi hodie forum Delphini est. Dominus Jonavillæ, qui hæc omnia refert, inter hos Judices portæ frequenter erat.

§. XXV.

Continuatio rerum Siciliae.

Eodem anno 1264 Papa Simonem Briensem Cardinalem S. Cæcilie in Franciam ut Legatum misit, qui a Clero decimam pro bello contra Manfredum peteret, atque cum Carolo Andegaviæ Comite ageret de conditionibus, quibus is Siculum regnum acciperet, a Papa inaugurandus. Mandatum Urbanus dedit 25 Aprilis: & 3 Maji S. Ludovico per litteras ob oculos posuit periculum religionis in Italia propter bellum, quod ibi Manfredus gereret de consiliis cum Andegaviæ Comite agitatis edoctus. Plurimum

Sæcul. XIII.

A. C. 1264.

Rayn. 1264.

n. 9. 10.

n. 13.